





Sammelband

C 6 B  
/ 65

+

1881





19.

I. N. 7.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
SOLENNIS

*Quâ*  
COLLATIO INTER AUGUSTANAM  
CONFESSIONEM ET CONCILIUM TRIDENTINUM

*De*  
**JUSTIFICATIONE**

*instituitur,*

**PRO LICENTIA**

*Capessendi summos in Theologia honores,*

*PRÆSIDE*

**JOHANNES MEISNERO,**

S.S. Theol. D. & Prof. Publ.

*Proposita & defensa*

*à*

**M. JOHANNES CHRISTOPHORO NICOLAI,**

Pastore & Superintendente Sondershusano in


Comitatu Schwartzburgico, Consistorii

Ecclesiastici ibidem Assessore,

**IN AUDITORIO MAIORI**

*ad d. 16. Junii*

Horis ante & pomeridianis.



WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendt.

ANNO MDC LIX.







*ILLUSTRISSIMO ET GENEROSIS-  
SIMO COMITI AC DOMINO,*

**DN. ANTHONIO GUNTHERO,**  
**S. R. Imperii Quatuorviro,**  
**COMITI DE SCHWARTZBURG ET HOHNSTEIN,**  
Dynastæ Arnsteti, Sondershusæ, Leutenbergæ, Lohræ  
& Clettenbergæ,

*Domino suo gratiosissimo,*

Hanc Disputationem Solennem,

Cum devota omnigenæ  
prosperitatis

*à DEO præpotenti appreciatione,*

*inscribere voluit uti debuit*

**M. JOHANNES CHRISTOPHORUS NICCOLAI,**  
Pastor & Superintendens Sondershusanus,  
Consistorii Ecclesiastici ibidem Assessor.





I.



um superiori seculo Martinus Lutherus, frater ordinis eremitarum D. Augustini, Ecclesiam Occidentis corruptelis & superstitionibus pluribus infectam & à Pontifice atque Curia Romanâ oppressam reformare primùm inciperet, tantum odii atque invidiae propterea apud Pontificem Romanum & plerosque alios ipsi addictos, Ecclesiasticos æquè ac Politicos viros sibi attraxit, ut non tantum Academiae Parisiensis, Lovaniensis & Coloniensis, sed etiam Leo x. & Adrianus vi. P. P. ac eorum impulsu Carolus v. Romanorum Imperator dogmatibus ejus damnatis & libris publicè ac solenniter in præsentia Cleri & populi crematis, ipsi aquâ & igni interdicerent. Quâ de causâ coactus ille aliquoties, & principio quidem à Cajetano Legato pontificio ad Pontificem Romanum, eumque rectiùs edocendum, postea verò ab hoc ipso ad futuri Concilii judicium, quod illi sit modis omnibus præferendum, die xxviii. Nov. Anno cIo Io xviii. provocavit. Licet autem ille primò novos & immoderatos abusus tantum indulgentiarum, ac deinde ipsas illas totas, impudenter atque irreligiôsè, nec sine populi Christiani fraude & periculo deprædicatas, oppugnaret, conscriptis super hoc argumento Wittebergæ thematibus cxcv. quæ disputanda eodem tempore publicè proposuerat, attamen cum Laicis quoque doctrinam suam probari intellexisset, factus animosior, ab indulgentiis progressus ad alia quoque capita de Romani Pontificis auctoritate, remissione peccatorum, deque pœnitentiâ & purgatorio, cæterisque ad inventionibus humanis, quibus Romanæ curiæ triarii tum indulgentias suas fulciebant, tum Ecclesiam Christianam indignâ servitute oppressam miserè obruebant, discutienda sese accinxit. Ta-

A 2

de n





dem verò ut palàm omnibus constaret, quid Ecclesiæ Reformationem à complexæ ex communi consensu de religionis & fidei capitibus statuerent, in Comitibus Imperii publicam ac solennem Confessionem, quam à loco Augustanam appellabant, Cæsari ac reliquis Imperii statibus exhibuerunt, inque ea non tantùm præcipuos fidei Christianæ articulos ex Verbo Dei explicarunt, sed etiam apertos & impios abusus, novitates, corruptelas ac superstitiones, superiorum temporum injuriã in Ecclesiam introductas, confutarunt.

II. Pontifex Romanus intereà cum bullis, minis, execrationibus, vivicomburiis denique aliisque inanibus terriculentis parùm se proficere animadverteret; pii autem & tum reformationis, tum pacis & concordie Ecclesiasticæ sarcindæ cupidi, ipsi etiam Imperatores & Imperii ordines Concilium generale, utpote controversiis religionis decidendis ac componendis convenientissimum atque efficacissimum remedium, toto orbe passim flagitarent, tandem ἐκὼν ἀέκοντι γέγονε Paulus III. PP. primò quidem Anno sæculi superioris xxxvii. Mantuæ, sed cum hoc minùs procederet quinquennio post in Civitate Tridentinâ Concilium generale indixit, quod ceptum quidem die xiii. Dec. Anno cIo Io xlv. & postea sæpiùs suspensum translatumque ac per integros decem & octo annos continuatum, tandem demum die iv. Dec. anno cIo Io lxiii. absolutum est, sed *in quo ne uni quidem ex causis, propter quas convocatum erat, plenè adhuc satisfactum esse, graves aliquot Episcopi, Hispani maximè, & cum iis Claudius Espenæus, Theologus Parisiensis, quemque Gilbertus Genebrardus & Scævola Sammarthanus in elogiis operi præfixis admirabilem vocant, Digress. ii. ad cap. i. Tit. fatentur.*

III. Et Pontificii quidem conventum illum paucorum hominum, ejusque sanctitatem, labores, iudicium & auctoritatem in immensum prorsus extollunt: *Tridentina Synodus, quò magis inveterascet, eò magis in dies, eoque perennius efflorescet, inquit Campianus apud Wittak. T. i. Opp. Bone Deus, quæ gentium varietas, qui delectus Episcoporum totius orbis, qui Regum & Rerum publ. splendor, quæ medulla Theologorum, quæ sanctitas, quæ lachrymæ,*



chryma, qua jejunia, qui flores Academici, qua lingue, quanta subtilitas, quantus labor, quam infinita lectio, quanta virtutum & studiorum divitiæ augustum illud sacrarium impleverunt? Decreta quoque ejus tam reverenter amplectuntur, ut tanquam magistrum omnes sequantur, eiq; ingenia sua atq; judicia sponte subjiciant, censente Bellarm. lib. i. de justif. cap. xii. & lib. iii. cap. iii. nec inter Catholicos numerandos esse dicunt, qui ejus decretis non obediunt, sicut iterum Bellarm. scribit, lib. iv. de amiss. grat. & statu pecc. cap. xv. Unde etiam juxta præscriptum Pii iv. PP. omnes illi, qui Ecclesiæ Pontificiæ sese aggregant, profiteri & juramento confirmare tenentur, se omnia & singula, quæ de peccato originali & de justificatione in Sacrosancta Tridentinâ Synodo definita & declarata fuerunt amplecti & recipere. -- Cetera item omnia à sacris canonicis & œcumenicis conciliis, ac præcipuè à Sacrosanctâ Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipere atque profiteri. Quod suo exemplo etiam Christina, Svecorum, Gothorum ac Vandalorum quondam Regina, Johannes Fridericus Luneburgensis, Ernestus Hassiæ Landgravius, nunc Synagogæ Romanæ Cardinalis, ejusque conjux Eleonora Maria Solmensis, Ranzovius aliique nuper admodum comprobant. Parùm denique abest, quin priscis illis œcumenicis Conciliis quatuor, à Doctoribus olim ex toto orbe collectis & florentissimis Ecclesiæ seculis habitis, ac demum ab omnibus ubique fidelibus approbatis & receptis anteponant, certè eodem loco habendum, eademque fide ac reverentiâ suscipiendum esse dicunt: nam & ipsum quoque Oecumenicum Catholicum & Universale passim appellant, & ejus decreta, tanquam Ecclesiæ Catholicæ vocem, ut denuò Bellarm. loquitur lib. v. de grat. & lib. arbitr. cap. xiii. non minus ac illorum sacrosancta & ab omnibus approbanda, nec minoris auctoritatis censenda esse volunt.

IV. Tantum autem abest, ut Oecumenicum concilium dici possit, ut ne quidem particularibus, qualia superioribus seculis in Africa, Gallia, Hispania & Germania aliquot celebrata fuerunt, annumerari rectè queat. Oecumenicum enim & Universale illud dicitur, quod ex toto orbe Christiano, aut



certe maximam ejus parte collectum fuit, sicut contra particulare aut provinciale vocatur, quod ex una tantum parte ejus aut provincia congregatur. Tridentinum a. generale censeri & iniquum fuerit & absurdum. Neque enim ex universo orbe, sed solo Occidente, ac ne hujus quidem provinciis ac regnis omnibus Doctores convenerunt. Ex Oriente & sedibus patriarchalibus, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena & Hierosolymitana Patriarcha nullus, ex tota Ecclesia Græca, Æthiopica, Abassiniana, Syriaca, Africana, Achaicis item, Macedonicis, Ephesina aliisque Asiaticis, quæ in Apocalypsi memorantur, Episcopus nullus, ex Septentrione itemque Austro nullus Metropolita, Archiepiscopus aut Episcopus adfuit. Quem defectum tamen Pontifex Romanus sine difficultate supplere potuit, creatis subinde & augendo numero substitutis personatis quibusdam Patriarcham scilicet Hierosolymitano, Archiepiscopo Cretenfi, Upsalensi, Armacano, Antibarenfi & regni Servia Primatem, Nazianzi, Cypri, Corcyra, Philadelphia & similium Dioceseon Episcopis, quorum nomina in Indice Decretis Concilii annexo extant, ut vel hoc modo oculis hominum glaucoma & simulacrum universæ Ecclesiæ sibi subditæ objiceret. De quo non tantum protestantes, sed etiam in Concilio patres nonnulli, ipse quoque Andreas Dudithius Episcopus Quinqueecclesiensis & Cleri Hungarici in eo conventu Orator Epistolam ad Maximilianum Cæsarem conquestus est: *Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere, ac, si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex majori parte barbatulos adolescentes, luxuriosos perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentiam & audaciam utiles.*

V. Ex Occidente verò integræ nationes plurimis sessionibus desiderabantur. Nam Sess. II. sedebant præter Legatum & Cardinalem Tridentinum IV. Archiepiscopi, XXVIII. Episcopi, IIII. Abbates congregationis Cassinensis, & IIII. Præpositi monachorum, eorum quibus XLIII. Concilium illud generale constabat. Ex Archiepiscopis

pis



pis duo erant veluti personati, qui Ecclesias, quarum titulis honoris tantum ergo à Pontifice ornabantur, nunquam oculis suis viderant, Olavus Magnus Upsalensis in Suecia Archiepiscopus, & Robertus Venantius Scotus, Archiepiscopus Armacanus in Hibernia, qui licet oculis parum prospiceret, hominis tamen equis meritoriis expeditissime iter facientis commendationem meruit. Duos hos Pontifex Romæ aliquot annos eleemosynâ suâ sustentarat, Tridentamq; nunc augendo numero mandarât, à legatis pendere iussos, sunt verbæ Paulli Servitæ, Venetæ Reip. Theologi, qui sub nomine Petri Svais Polani Historiam Concilii Tridentini edidit p. 152. qui etiam hoc subjicit, in sessione IV. quinque Cardinales & XLVII. Episcopos præcipua religionis capita hæcenus indecisa definiisse, auctoritate Canonica libris antea incertis & apocryphis datâ, translatione, quæ à textu originario deflectit, authenticâ factâ. Ex iis aliquos esse titulares tantum, sed Episcopos magnam partem esse civitatum adeò minutarum, ut si quisque populum, cui præest, referat, vix omnes millesimam orbis Christiani partem representent. Sed è Germania præsertim ne unum quidem adesse Episcopum, unicùmve Theologum. Inter præsules Germaniæ unum Cardinalem Augustanum procuratorem misisse, eumq; non Germanum, sed Allobrogem. Idem etiam de sessionibus reliquis plerisque dicendum, in quibus de peccato originis, justificatione, Sacramentis aliisque gravissimis fidei articulis, decreta procusa sunt. Unde paterculi ipsi ob inclytæ Germanicæ nationis absentiam, ac non magnam cæterorum patrum frequentiam sessionem XII. futuram prorogandam esse decernunt. Et Leonhardus Haller, Episcopus Philadelphienfis nominatenus, oratione d. x. Julii Anno MDCLII. habitâ, Legatos ad Synodum rogavit, uti Præsules Germaniæ expectare vellent. Concilium enim illud generale dici non posse, in quo una integratio Christiani orbis primaria desideretur, ut eadem Historia p. 597. commemorat.

VI. Nequaquam igitur ex toto orbe Christiano, sed unâ duntaxat ejus parte, eaque nec integrâ, nec præcipuâ verum soli Pontifici Romano obnoxia, vel ut accuratiùs loquar, solâ Italiâ Concilium illud congregatum fuit. Hæc enim illa Helena est, quam posterioribus seculis & nuper adhuc Tridenti  
obti-



obtinuisse ex Ludovico Arelatensi & Ænea Sylvio Espencæus Digress. i. in cap. i. ad Tit. ait, ut nempe *in Conciliis id demum fiat, & necessario fiat, quod nationi placeat Italica, ut quæ sola Episcoporum, qui & ipsi soli vocem illic decisivam habent, numero nationes alias æquet aut superet.* Quin si rem rectè putamus, ne quidem Episcopis Tridenti degentibus, qui nec proponendi nec decidendi facultatem ullam habebant, sed soli Pontifici Romæ existenti, utpote unico articulorum fidei promo condo & controversiarum inde ortarum iudici infallibili decreta ascribenda sunt: Inde enim responsa, tanquam Delphis aut Dodonâ expectabantur, illinc Spiritus ille sanctus, quem suis conciliis præesse jactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur, quod etiam in proverbium abiisse Sleidan. ad ann. *CLIO LI.* & Thuan. lib. xxviii. Hist. commemorant. Quod igitur solus Pontifex cum sua curia statuit, id non propterea toti Ecclesiæ occidentali, omnium autem minimè Ecclesiæ universali, per totum orbem sparsæ, tribui debet.

VII. Denique ex paucis illis, qui adfuerunt, prælatis non omnes quid ibi ageretur vel observarunt vel penetrarunt, multò minùs probarunt, aliqui etiam ex intelligentioribus acriter, & quidem in præcipuis fidei articulis de authenticâ vulgatæ versionis, traditionibus humanis & concupiscentia, immunitate B. Virginis à peccato Originali, justificatione eique annexis, Sacramentorum efficacia, intentione ministri, dispensationibus, clericorum cœlibatu, communionem sub una, transubstantiatione, missa, purgatorio, indulgentiis, & quod præcipuum est, de primatu seu potiùs immensâ & immani ambitione Romani Pontificis, quâ sibi supremam non tantùm in omnes totius orbis Ecclesias earumque Episcopos, sed in ipsos etiam Imperatores ac Reges potestatem nequiter ac mendaciter arrogat, contradixerunt, ut in singulis fermè sessionibus Historia demonstrat. Atque hi eatenus se à reliquo cœtu segregarunt, quibus si ceteros, qui vel Lutheranismi accusati, vel quòd consilio malignantium consentire nollent, Synodo prorsus ejeti sunt, addas, & titulares, qui Cardinalium dexteras oscu-  
laturi



laturi aut sibi sandalia & equo soleam curaturi Tridenti com-  
morabantur, demas, tot tandem patres relinquentur, quot  
sunt

*Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.*

Quo tam exiguo numero nulla unquam œcumenica Synodus,  
multæ autem particulares majori constiterunt.

VIII. Eruditionem verò & tum Sacræ Scripturæ, tum an-  
tiquitatis Ecclesiasticæ cognitionem, quod attinet, non tan-  
tùm Germani ita judicarunt; *In his præsulibus non temerè reperiri  
aliquem præcellentis doctrine laude insignem. Leguleios esse aliquot,  
in juris professione doctos, sed religionis non admodùm intelligentes,  
per paucos Theologos, eosq; eruditione infra vulgus Theologorum, a-  
pud Svavem Hist. p. 178.* Sed in ipso quoque concilio reperti  
fuerunt, qui indignarentur, tantam in patribus ad articulos defini-  
endos & anathemata pronuncianda promptitudinem, ipsis neque re-  
rum quæ tractarentur, satis intelligentibus, & ab aliis edoceri fastidi-  
entibus. Cujus rei evidentissimum argumentum est, quod Sess.  
VII. concio nulla habita fuit. Cùm enim D. Marci Episcopus  
qui concionandi vices obire debuerat, propter offensusunculas  
quasdam sessioni interesse nollet, in tanto conventu LX. Epi-  
scoporum, & XXX. Theologorum, qui prædicandi officio assve-  
verant, ne unus quidem potuit reperiri, idoneus quatuor ver-  
ba fari, etiam quatuor horarum spatio dato ad præmeditan-  
dum, ut idem auctor refert p. 293. Sed nihil mirum Episcopos  
plerosque rudes & indoctos esse, cum de Pontificibus ipsis con-  
stet, plures eorum adeò illiteratos esse, ut Grammaticam penitus igno-  
rent, quemadmodum loquitur Alph. de Castro Minorita lib. I.  
adv. hæ. cap. IV. qui etiam lib. III. de punit. hæ. cap. V. de  
Cardinalibus, ex quibus Pontifex eligitur, scribit, quòd *etsi a-  
liqui sint docti, multò tamen plures sint adeò indocti, ut vix latinè  
sciant loqui, & (quod multò pejus est) eorum aliqui nec benè latinè  
legere noverunt.* Hi ergò tandem sunt Catholicæ fidei & dogma-  
tum conditores, hi sunt, ex quorum pectore, tanquam scrinio  
aliquo, omnia fidei & morum decreta, maxima minima, pete-  
re atque haurire jubemur, utut illi, uti nunc sunt, & ab aliquot  
jam seculis fuerant mores, non nimis pii sint, sæpè etiam pror-

B

sus



sus ἀναλφάβητοι, ut ab iis hac in parte vel tantillum expectare velle, idem sit, atque hircum mulgere, aut eum mulgenti cribrum supponere. Ab ejusmodi ergò rasorum & semidoctorum manipulo ecquid magni in dogmatibus & tanti momenti rebus expectes? Quis hujusmodi homines rem fidei & religionis Christianæ infallibili judicio moderari credat? Quis tandem anathemata, quæ ipsi unà cum Pontifice suo ejaculantur, & bruta fulmina magnopere timeat?

IX. Cæterùm cùm dogma de justificatione hominis peccatoris coram Deo sit quasi arx quædam & fundamentum totius Christianismi, quo stante stat, cadente verò cadit fides & doctrina de reconciliatione nostri cum Deo, remissione peccatorum, salute & vitâ æternâ, majores nostri seculo abhinc altero in Confessione Augustanâ ejusque Apologiâ tantò accuratiùs de eo sibi agendum esse censuerunt, quò impotentiùs jam inde à principio religionis Christianæ fuit imperitum. Nec in conventu Tridentino prorsus omissum est, sed disputatum de eo acriter per integros septem menses, in quo tamen post multas & infinitas ferè disputationes, congregationes, colloquia, apologias & antapologias aliud proculsum nihil est, quàm æquivocationes, ambiguitates & mera anathemata, quibus Christi & Apostolorum doctrina de gratuitâ peccatorum remissione immeritò damnatur. Quod cùm unius mensis deliberatione, una item alterave congregatione confici non posset, per septem menses & centum congregationibus agitari oportuit.

X. Dico meras æquivocationes & ambiguitates in eo decreto animadverti. Enimverò cum reperirentur in conventu isthoc, qui, ut inter Scholasticos fieri assolet, diversas de dogmatibus propositis opiniones foverent, quas & mordicùs tuebantur, illi, qui decretis concinnandis desudarunt, id sollicitè operam dederunt, ut neutri parti præjudicium afferrent, sed omnibus satisfacerent. Hinc de Cardinali S. Crucis Historia p. 237. scribit: *In singulis congregationibus observabat, quid cuique minùs probaretur, idq; vel debebat, vel de aliorum consilio emendabat. Neque solùm in congregationibus, sed seorsim cum singulis*



lis collocutus, si quis esset scrupulus, eum audiebat, & cujusque sententiam exquirebat. Materiam alio atque alio ordine digessit, interdum hanc, nonnunquam illam partem mutans, quoad in eam formam esset redacta, qua nunc extat, qua omnibus placuit, cunctorum calculis approbata. Ejus quoque mutationis duo exempla ibidem recenset. Dum igitur utrique parti placere studet, verba ambigua & duplicem sensum exprimentia adhibere oportuit, quibus omnes assentirentur, sed quibus nihil aliud effectum est, quam ut verborum quidem consensus esset, animorum verò pugna & contrarietas maneret. Quæ causa etiam est, quòd Dominicus Soto, cujus in formando decreto de justificatione præcipuæ partes fuerunt, & Ambrosius Catharinus recens factus Episcopus Minorensis, qui contrarias opiniones antea propugnauerant, post sententiam promulgatam editis & Synodo ipsi dicatis scriptis quisque decreti verba ad suum sensum pertrahere conati sunt, non solum asseverantes, sententiam suam esse Synodi mentem, sed etiam criminantes invicem, eum Synodo affingi sensum, quem nunquam somniasset, adductis quoque utrinque opinioni suæ firmandæ patrum, qui unà interfuerunt, sed postea æquè in partes secesserunt, testimoniis. Quod si autem illi, qui Concilio interfuerunt, & primas in ea actione obtinuerunt de mente ejus convenire non possunt, sed in hunc usque diem adhuc digladiantur, quæ tandem spes est, alios, qui dispari prorsus sunt conditione, concilii mentem assecuturos esse? Quis autem credat, rem religionis eos animo sincero & reformationis cupido aggressos sine furo & ambiguitate tractasse? & non potius suam cuilibet opinandi quidvis libertatem reliquisse? sed quod patribus hac in parte & Scholasticis reliquis liberaliter indultum est, ut suo quisque sensu abundare posset, quàm absurdus tandem ille fuerit, id Lutheranis nequam concessum, omnibus singulari quadam animi concordia ad eorum sententiam, quæ ex Scripturæ testimoniis extructa est, damnandam conspirantibus.

XI. Propositum autem nobis est hac vice Articulum XI. de Justificatione repetere, & Augustanæ Confessionis doctrinam cum Concilii Tridentini de eo capite decretis conferre,



ac quid commune inter se habeant, quid seorsim ab invicem sentiant, breviter ostendere. Hac enim sententiarum collatione instituta, tantò facilius genuinum ab adulterino, verum à falso dignosci poterit. Id tamen ut ordine fiat, pauca quædam, quasi prolegomena, de vocabulis præmittenda sunt, quod idem etiam Bellarm. Becanus, Costerus & quicumque ex adversariis materiam eam ex instituto pertractarunt, in fronte suorum librorum faciunt, & in eo magnum causæ suæ & totius hujus controversiæ, nec immeritò, præsidium collocant. Nec enim aliunde rectius, quàm ex propriâ & genuinâ significatione verbi justificare vera Scripturæ sententia de justificatione explicari & intelligi, nec contrariæ corruptelæ compendiosius refutari possunt. Eâ autem monstratâ & ex manifestis Scripturæ testimoniis confirmatâ ipsa etiam justificationis doctrina, quæ simul ibi comprehenditur, plana & manifesta erit: Ut adeò non *λογομαχία* seu de vocabulis tantùm inanis contentio, sed de rebus ipsis ardua & longè gravissima disceptatio instituat.

XII. Ac principio quidem magnum se statim hîc pandit sententiarum divortium, dum Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. VII. & can. XI. ejusque interpretes nomen *justificationis*, sicut & verba ipsa *justificare* & *justificari* de inhaerentibus novis justitiæ qualitatibus exponunt, quibus acceptis homo ex injusto fiat justus, & ex Dei inimico amicus ejus ac hæres vitæ æternæ. Intelligunt autem juxta morem latinæ compositionis, ut sit item ac justum facere, seu infuso habitu justitiæ donare, sicut sanctum, purum, calidum facere est habitu sanctitatis, aut purâ calidâque qualitate aliquem imbuere. Quanquam enim fateantur ultrò verbum justificandi in scripturis variè, & ut Becanus censet, tripliciter potissimum capi, pro justum facere, itemque ex justo justiore facere, ac denique declarare seu pronunciare aliquem justum, solam tamen primam ac secundam significationem hac in parte recipiunt, unde & primam ac secundam justificationem excogitarunt; eam autem quam Augustana Confessio amplectitur, nec propriam aut genuinam esse dicunt, & vix tertio aut quarto loco ponunt. Juxta a  
Tri-ri-



Tridentinos igitur paterculos verbum *justificare* proprie significat realem motum ab injustitiâ ad justitiam, quâ forma præcedens aboleatur, & alia substituatur, sicut in Physicis motibus una qualitas expellitur & alia introducitur. Unde postea, ubi ad rem ipsam ventum est, ut explicetur quid sit justificatio hominis peccatoris, nihil aliud esse contendunt, quàm peccati expulsionem & justitiæ inhærentis infusionem. Propter hanc enim nos justificari, hoc est, à Deo in gratiam recipi & accipere remissionem peccatorum.

XIII. Sed ante omnia hîc observandum est, cum de propriâ & genuinâ significatione verbi *justificare* quæritur, nequam ex compositione latinâ, vel aliis etiam similibus verbis de eo judicandum esse, ut sicut calefacere significat calidum facere, purificare, sanctificare plerumque notat sanctum aut purum efficere, ita & justificare idem sit ac justum facere, infuso habitu justitiæ inhærentis. Neque enim si sanctificare, purificare, calefacere verba effectiva sunt, quæ habitum aut qualitatem infusam connotant, ideò & verbum justificare statim tale est, alioquin & magnificare quenquem erit novam quantitatem alicui indere. Habet enim plerumque unumquodq; verbum suam significationem, quod ex usu auctorum, constructione item cum certis subjectis & prædicatis sumendum. Ipsum quoque verbum simplex *facere* quandoque censere tantum, aut reputare significat, ut cum Rom. II. 25. dicitur; *Circumcisio facta est in præputium*, id mox v. seq. verbo *imputari* explicatur; *Præputium in circumcisionem reputabitur*. Et II. Cor. v. 21. *Deus eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, (reputavit.) ut nos efficeremur (reputaremur) justitia Dei in ipso.* Sed nec analogia & compositio grammatica adæquata regula est investigandi propriam & primariam vocum significationem, quæ potius ex apertissimis Scripturæ Sacræ locis, quæ justificandi rationem & ordinem tradunt, eorumque exegesi à Spiritu S. Apostolis inspirata & ibi facta, denique ex vocabuli ipsius constructione cum certis causis, mediis, subjectis & prædicatis petenda est, ut cum solâ fide, sine operibus justificari dicimur, sicut & Abraham justificatus est, cum vel nullas qua-



litates justas haberet, vel in eo actu non attenderentur. Unde illæ in nostrâ quoque justificatione attendendæ non sunt, nec in vocabulo justitiæ ac justificandi propriè ac primariò includuntur.

XIV. Deinde nec ad rem magnopere pertinet, scire, an & quâ notione verbum illud profani scriptores, sive græci sive latini, usurparint: Cùm enim voces illæ Christianorum propriæ sint, utpote, qui soli etiam justificantur, & quid justificatio sit soli cognoscunt & experiuntur, ex solis quoque ipsorum libris, præcipuè verò Scripturâ Sacrà significatio ejus haurienda est. Idque agnoscit ipse Bellarm. cum lib. II. de justif. cap. III. ita scribit: *Auctores lingvæ latinæ non habere hanc vocem in ullâ significatione, & ideò non esse mirum, si non possint ostendere in Terentio vel Cicerone, justificare positum esse pro eo, quod est justum facere. -- Deinde non esset etiam mirum, si profani auctores haberent hanc vocem solum in usu forensi, cùm ignoraverint justificationem judicis Dei.* Fatetur igitur, profanos auctores nec rem ipsam, hoc est justificationem, nec ejus vocabuli significationem veram ac propriam cognitam habuisse, unde & Terentium ac Ciceronem ejus rei judices non esse admittendos.

XV. Sed nec quenquam patres movere debent, qui non rarò justificationis vocabulum pro regeneratione ac renovatione accipiunt, quod Chemnitius etiam haud gravatè in examine Concilii Tridentini concedit, qui *patribus*, inquit, *licet plerumque verbum justificare accipiant pro renovatione, qua efficiuntur in nobis opera justitiæ, non movemus litem, ubi juxta scripturam rectè & commodè tradunt doctrinam, quomodo & quare persona Deo reconcilietur.* Et iterum: *Patres, licet plerumque sequantur analogiam latinæ compositionis in verbo justificare, sæpè tamen evidentiâ Paullinæ Disputationis coguntur agnoscere propriam hanc & genuinam significationem.* Dum igitur doctrinam ipsam rectè & secundum scripturam explicant, nullam eis propter vocabulum litem movendam esse arbitratur. Sed nec temerè aut sine causâ justificandi vocem eâ significatione usurpant, ut ostendant scilicet, conjuncta esse beneficia Dei, remissionem peccatorum & renovationem, quando enim reconciliamur, simul etiam



etiam accipiamus Spiritum renovationis, qui novas vires in  
credentibus accendat. Et cum hoc invicem commune habe-  
ant, ut utraque pars nobis obtingat, utraque etiam effectus sit  
satisfactionis Christi, quæ nobis in justificatione confertur &  
applicatur; ideò quoque uno vocabulo haud inmodè ex-  
primi posse censuerunt, ita tamen, ut cuique suus locus, ordo,  
dignitas & proprietas tribuatur, præcedat nempe reconciliatio  
cum Deo seu remissio peccatorum, quæ propriè justificatio est,  
& fit unice per imputationem justitiæ Christi, postea demum  
renovatio, charitas & nova obedientia sequatur. Hoc ordi-  
ne igitur observato, si prima acceptio, pro remissione pecca-  
torum fide propter Christum acceptâ, ut maximè propria &  
huic materiæ conveniens retineatur, secundaria ejus significa-  
tio, pro creatione novorum habituum in homine regenito, ut  
ut minus quodammodò propria, non rejicitur.

XVI. Ipsa etiam Apologia August. Confess. semel atque  
iterum vocabulum istud in secundaria significatione accipere  
videtur, ut idem scilicet sit, quòd *justum facere*, ut cum artic. iv.  
ad rubricam: *Quòd fides in Christum justificet*, pag. 71. ita loqui-  
tur: *Et quia justificare significat ex injustis justos effici, seu regenera-  
ri, significat & justos pronunciarì seu reputari.* Et iterum pag. seq.  
*Igitur solâ fide justificamur, intelligendo justificationem, ex injusto  
justum effici, seu regenerari.* Rursus pag. 82. *Sola fide consequi-  
mur remissionem peccatorum propter Christum, & sola fide justifica-  
mur, hoc est, ex injustis justì efficiamur, seu regeneramur.* Verum  
enimverò tam sollicitè cavet, ne quis in sequiorem sensum tra-  
hat, ut passim addat, se phrasin *effici justum* accipere pro absol-  
vi, regenerari, justum pronunciarì & reputari, & ut maximè  
justificatio inchoatam legis impletionem nonnunquam signi-  
ficet, propter illam tamen neminem justificari. Hinc de dile-  
ctione & legis impletione p. 90. ita pergit; *Quanquam autem,  
ex his, quæ supra dicta sunt, constet, justificationem non solùm initi-  
um renovationis significare, sed reconciliationem, qua etiam postea  
accepti sumus, tamen nunc multò clariùs perspicì poterit, quòd illa in-  
choata legis impletio non justificet, quia tantùm est accepta propter fi-  
dem.* Quanquam ergò vocabulum justificandi, ut dictum est,  
apud



apud patres antiquos & in Apologia August. Conf. ipsa etiam  
Scripturâ Sacrâ secundum latinam analogiam accipi fortè vi-  
deatur, ut idem sit, atque habitum justitiæ inhærentis acqui-  
rere, attamen nec propria & principalis, nec unica ea significa-  
tio est, nec semper aut in propriâ sede, & ubi ex instituto do-  
ctrina illa proponitur, ita usurpatur.

XVII. Denique & illud observandum est, quando in  
Scripturâ Sacrâ propria ejus significatio indagatur, non quæ-  
vis loca temerè & sine judicio corradenda esse, in quibus ver-  
bum justificandi utcunque reperitur, aut ubi homo Deum vel  
hominem, vel etiam semetipsum justificare dicitur, vel deni-  
que in abstracto de natura justitiæ & qualitatibus hominis ju-  
stificati, aut Deo, hominem justificatum laudante & commen-  
dante agitur: neq; enim hæc justificatio propriè est, per quam  
homo impius coram Deo justus constituitur, nec de ejus signi-  
ficatione, sed de illis potiùs Scripturæ locis quæritur, in qui-  
bus doctrina justificationis, tanquam in suâ sede traditur, & de  
Deo justificante impium & homine justificando agitur. Extra  
hunc casum igitur, in quacunque demum significatione repe-  
riatur, parùm refert, ut cum Dan. xii. 3. dicitur: *Doctores ful-  
gebunt, ut splendor firmamenti, & qui justificant multos, ut stelle in  
secula.* Aut Apocal. xxii. ii. *Qui justus est, justificetur adhuc.*  
Item Psal. lxxii. 13. *Ergò sine caussa justificavi cor meum.* Quibus  
& similibus locis aliis nec de justificatione propriè agitur, nec  
Deus dicitur hominem justificare. Unde ad nostram Andro-  
machen nihil faciunt.

XVIII. His ita nunc præmissis dicimus cum Augustana  
Confessione ejusque Apol. ubicunque verbum justificandi ta-  
li modo ac constructione reperitur, semper in sensu forensi u-  
surpari, & idem esse ac justum aliquem pronunciare, seu eum,  
qui ab accusatore factus est alicujus iniquitatis reus, justum  
declarare, & ab intentato crimine ejusque pœna absolvere.  
Quod quidem Soto negabat, sed à Marinaro in ipso Concilio  
Tridentino rectè confutatus apud Svavem p. 219. Patet autem  
illud non tantum ex inductione omnium locorum, in quibus  
de justificatione propriè agitur, sed cum primis etiam ex Epi-  
stolâ



ſcolâ Pauli ad Romanos, qui cum argumentũ illud copioſiſſimè  
& accuratiſſimè tractet, ſine dubio etiam ſignificationem voca-  
buloꝝ optimè omnium explicabit. Nusquam a. aliter, quàm  
ſignificatione forenſi vocem juſtificationis accipit. Nam cum  
Rom. III. 24. *Juſtificantur*, inquit, *gratu per illum gratiam, per re-*  
*demtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiacione*  
*per fidem in ipſius ſanguine, ad oſtenſionem juſtitie ſue propter remiſſionem*  
*præteritorum peccatorum, quæ Deus toleravit:* Juſtificationem per  
redemptionem & Dei placationem, diſſimulationem item &  
tolerantiam peccatorum manifeſtè exponit, quo pacto nec in  
renovatione aut juſtitiâ inhærente, nec actuum virtuoſorum  
infuſione aut exercitio, multò minus profeſſione eorundem  
conſiſtet, quod mox cap. IV. 2. Abrahami exemplo demonſtrat,  
qui etſi habitu atque exercitio bonorum operum jamdudum  
inſtructus eſſet, non ex illis tamen, ſed fide tantum, quod Deo  
credidit, juſtificatus dicitur. Ibidem beatitudinem hominis  
teſtimonio Moſis, Davidis & omnium Prophetarum confir-  
matam eam eſſe dicit, cum Deus imputat juſtitiã ſine operi-  
bus, iniquitates autem non imputat, ſed tegit & remittit. Quod  
ſi igitur Deus hominem juſtificat juſtitiã tantum imputan-  
do, iniquitates remittendo, peccata tegendo & non imputan-  
do, juſtificatione certè in peccatorum condonatione & juſtitiæ  
alienæ imputatione, non verò juſtitiæ inhærentis infuſione,  
conſiſtet. Denique, ut multa alia nunc omittam, manifeſta  
eſt oppoſitio cap. VIII. 33. *Quis intentabit crimina adverſus electos*  
*Dei? Deus eſt, qui juſtificat. Quis ille, qui condemnet? Chriſtus*  
*eſt, qui mortuus eſt.* Ubi juſtificationem opponit condemna-  
tioni, & ſicut accuſare ſeu condemnare aliquem non ſignificat  
crimina ſeu habitus malos infundere, ita nec juſtificare, quod  
ei opponitur, juſtitiã inhærente donare ſignificat, ſed utro-  
bique proceſſus, ut ita dicam, judicialis deſcribitur, & conde-  
mnare quidem eſt coram judicio quenquam reum ſiſtere &  
pœnis ac æternæ damnationi deſtinare, juſtificare verò coram  
judicio Dei propter Chriſtum à peccati reatu & damnationis  
abſolvere, juſtum pronunciare & ad vitam æternam acceptare.  
Idque ex Pontificiis Tolet. in Rom. VIII. agnoſcit, cum ait: Ju-

C

ſtifican-

35 mar



Justificandi verbum in hoc loco in eâ significatione accipitur, quæ est opposita antitheto, nempe condemnationi, ut idem sit hoc loco justificare ac justum pronunciare, sicut iudex suâ sententiâ innocentem absolvit & pronunciat, quâ significatione accipitur etiam in multis Scripturæ locis. Et Alphonsus Salmeron Disp. ix. gener. in omnes Epistolas Pauli: *Justificare*, ut est vox forensis, damnationi opponitur, & idem est ac pronunciare justum, quomodo usurpatur Rom. II. factores legis justificabuntur. Ex his igitur & aliis multis Scripturæ testimoniis manifestum est, justificari secundum Scripturas nihil aliud esse, quàm justum pronunciarî & à peccatis ac damnatione absolvi. Unde etiam ad contraria argumenta & loca, quæ inde deducuntur, facile responderi potest.

XIX. Sed jam de præparatione ad justificationem dicendum est, de quâ Tridentini cap. VI. itemque Can. IV. & VII. sentiunt, fidem, timorem, spem, charitatem & cæteros, quos cum fide conjunctos esse oportet animi sive motus sive actus hominem ad justificationem consequendam præparare & disponere. Dicit enim eos per fidem justificari quia fides est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, ut loquitur Concilium cap. VIII. Tria verò potissimum de dispositionibus illis docent, quamvis mentem suam studiosè & cum artificio quodam tegant. Primò actus illos præparatorios non nisi naturales esse, ex naturalibus liberi arbitrii viribus profectos. Unde Can. VII. anathema dicunt illis, qui negant infideles per sua opera se disponere ad gratiam: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem sunt, quacumq; ratione facta sunt, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur in se disponere gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Quæ opera verò ante justificationem inchoatam sunt, non certè ex gratiâ aut fide, quæ tùm nondum adest, sed meris naturæ viribus fieri dicenda sunt. Et quamvis gratiæ divinæ mentionem aliquam faciant, per eam tamen nihil aliud intelligunt, quàm auxilium tantùm divinum generale, movens & excitans liberum arbitrium, quod ita motum ex naturali suâ virtute possit elicere tales motus & actiones, quibus homo disponatur ad gratiam. Ideo enim cap. V. & VI. per gratiam excitantur &



tem & adjuvantem liberè assentiendo & cooperando hominem se ad conversionem & justificationem suam disponere posse dicunt. Quâ in parte ne latum quidem unguem ab antiquiorum scholasticorum opinionibus recedunt, qui de merito congrui ita disputant, esse opus aliquod bonum, ante gratiam ex virtute liberi arbitrii profectum, quo primam gratiam impetrare ac mereri possimus: Congruum enim esse, ut dum homo virtute liberi arbitrii benè utitur, Deus secundum excellentiam misericordiæ suæ excellentis operetur. Has opiniones igitur nec improbant nec rejiciunt Tridentini, sed potius haud obscure approbare videntur, quicquid demum Bellarm. lib. I. de justif. cap. XXI. dicat, imperitiam ac improbitatem Chemnitio idem respondentem subinde objectans. Inde verò & alterum consequitur, ita hominem per illas ad gratiam disponi, ut eam de congruo promereatur. Ideò enim cap. VII. gratiam justificationis dari contendunt *secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Et hanc sententiam Bellarm. lib. II. de pœnit. cap. XII. ex Magistro, Thoma, Alberto, Bonaventura, Scoto, Durando, Gabriele, Vega probat, eandemque *veriore & scripturæ & patribus conformiore* esse dicit. Denique prævias illas dispositiones tam necessarias esse docent, ut sine illis nulla unquam justificatio contingat. Unde & Can. IX. anathema esse jubent, *si quis dixerit, nulla ex parte necesse esse hominem suæ voluntatis motu preparari atque disponi*.

XX. Atque hæc Concilii Tridentini de dispositionibus sententia est. Recentiores verò interpretes, cum absurditatem ejus haud difficulter deprehendant, in omnia contraria discedunt, & quod Tridenti, velut in publico totius orbis Christiani theatro, sancitum & tanquam ad salutem creditu necessarium fidelibus omnibus inculcatum fuit, illi nec docendum nec credendum esse statuunt. Becanus sanè opusc. de justif. cathol. cap. III. q. III. de dispositionibus illis ita disputat: *Non sunt actiones merè naturales, quæ solis nostris viribus efficiantur (sic enim nullam vim haberent ad justificandum) sed supernaturales, quæ ab homine elici non possunt sine gratia Dei excitante & adjuvante. Porro hæc dispositiones non requirantur ex natura rei, quasi gratia*



sanctificans, ut remissio peccatorum, non possit homini conferri, nisi per supra dictos actus preparato & dispositio, sed tantum ex ordinatione & voluntate Dei. Et q. iv. addit: Constanter tenemus, dispositiones illas, quæ præcedunt justificationem, tametsi bona opera sint partim à Spiritu S. gratiâ, partim à libero arbitrio, tanquam à duabus causis producta, non tamen mereri primam gratiam justificantem & peccatorum remissionem, eò quod fiant ab homine nondum justificato, sed in statu peccati adhuc existente. Cui assertioni probanda verba Concilii Trid. ex Sess. vi. cap. viii. adducit: Nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Sed Bellarm. lib. i. de justif. cap. xxi. ea ita explicat, ut excludatur solum meritum de condigno, non item de congruo. Quanquam enim justificatio gratuita statuatur, non tamen excludi opera, quæ dicantur concurrere ad justificationem ut dispositiones, vel ut merita de congruo, modo non tribuatur eis meritum de condigno. Et de hoc loqui Concilium Sess. vi. cap. viii.

XXI. Cùm verò duplex dispositionum seu præparationum genus sit, physicum unum, quo subjectum aliquod ad recipiendam formam naturalem vel artificialem præparatur, ut cum plumbum, stannum, cera aut hujusmodi quid per liquefactionem ita disponitur, ut possit fundi in figuram canis, leporis, asini, aut tabula ad recipiendam Imperatoris, Regis aut Principis alicujus imaginem: Alterum morale, quo subjectum intelligens per informationem, doctrinam aut suasionem ad recipiendam formam moralem præparatur, manifestum equidem est, Concilium non prioris, sed posterioris generis dispositiones intellexisse, cùm divinitus præparari & disponi homines ad justificationem decreto suo sancivit. Nec enim talis motus ibi instituitur, ut in actionibus physicis fieri solet, cum unâ qualitate expulsâ succedit altera, eaque non minùs vera ac realis, quàm prior fuit, sed ubi in intellectu & voluntate mutatio fit, & homo ad recipiendam formam moralem, seu gratiam & misericordiam divinam capax redditur: quamvis parùm admodùm absit, quin physicam mutationem fieri doceant, cùm totam justificationem nostram in physicâ & reali peccatorum expul-



expulsione & qualitatum novarum infusione consistere statuunt. Unde etiam argumentum stabiliendae suae sententiae plerumque inde petunt. Ita enim Salmeron: *Sicut in naturalibus formae non in funduntur subiecto, aut materia nisi illa disposita, & propinqua agenti: nec enim ignis lignum incendere posset, nisi tollerentur humiditates igni contrariae, & propinquum sibi redderetur: nec medicina nisi in recte disposito operabitur sanitatem: Ita in justificationis forma, sed ad quam omnis homo ex se ind dispositus invenitur, quia peccator est & filius irae, opus est ea hominem operari, per quae duritiam suam & ind dispositionem auferat.* Et harum dispositionum septem potissimum ex doctrina Concilii Tridentini Bellarm. lib. I. de justif. cap. XIII. recenset, fidem, timorem, spem, dilectionem, poenitentiam, propositum percipiendi Sacramenti & novae vitae seu observationis omnium mandatorum divinatorum: Neque enim hominem justificari, vel, ut illi loquuntur, renovari posse, nisi ante omnia credat, hoc est, verbo divino assentiatur, cum confiteretur, justificari nos per fidem, ut passim S. Paulus docet: nec recte credere, nisi Deum justissimum peccatorum vindicem & iram ejus timeat, in ejus misericordiam omnem spem suam collocet, peccata sua agnoscat eaque detestetur, & Baptismi ac vitae melioris propositum afferat, cum per fidem poenitentia & omnes ejus motus excitentur & coram Deo valeant. His igitur dispositionibus, veluti parariis quibusdam, praecedentibus justificari posse homines, & veniam peccatorum consequi, sine illis vero nequaquam.

XXII. Caeterum concedimus esse certum aliquem ordinem divinitus constitutum & in verbo Dei praescriptum, quo veluti parario quodam justificationem praecedente Deus in hominibus ad justificationem deducendis uti decrevit, uti sunt, templum frequentare, verbum Dei audire, legere, meditari, de quibus Augustana Confess. artic. V. ait: *Ut fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelii & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium.* Nec aliter Formula Christianae Concordiae sentit, cum artic. de libero arbitrio p. 671.





Per hoc medium seu instrumentum, inquit, prædicationem nimirum  
& auditionem verbi Deus operatur, emollit corda nostra, trahitq; ho-  
minem, ut ex concionibus legis & peccata sua, & iram Dei agnoscat  
& veros terrores atque contritionem in corde suo sentiat. Et per an-  
nunciationem ac meditationem Evangelii de gratuita & clementissi-  
mâ peccatorum remissione in Christo scintilla fidei in corde ipsius ac-  
cenditur. Chemnitius quoque, part. prima Examinis Concil.  
Trident. non hos tantum actus, sed alios prætereà, peccati sci-  
licet agnitionem ac detestationem, & similes animi motus ju-  
stificationem hominis præcedere dicit, & si illi non viribus na-  
turalibus liberi arbitrii, sed gratiæ Dei tribuantur, nec in iis  
meritum aliquod constituatur, propter quod justificemur, sed  
nuda relatio ordinis inter antecedens & consequens insinuetur;  
de voce præparationis & dispositionis nemini temerè li-  
tem movendam esse censet. Omnino certus est sive modus sive  
ordo, in verbo Dei nobis designatus & præscriptus, quo Deus utitur,  
quando vult hominem ad justificationem deducere, ut accipiat recon-  
ciliationem, remissionem peccatorum, adoptionem &c. Et qui ad  
modum sive ordinem illum divinitus præscriptum non volunt se dis-  
tanti Spiritus accommodare, sed negligunt & conculcant illum, hi ad  
justificationem non perveniunt. Vult enim Deus à notitia & assen-  
su verbi sui nos ordiri. Et ante justificationem oportet præcedere con-  
tritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pavores conscien-  
tiæ agnoscentis iram Dei adversus nostra peccata, & dolentis propter  
peccatum, in qua contritione non retinetur sed abjicitur propositum  
perseverandi & pergendi in sceleribus. Ad hos verò terrores necesse  
est accedere fidem, -- Et hoc modo seu ordine in verbo Dei designato,  
viam parari Domino, ut in ipso, per & propter ipsum, fide consequamur  
& accipiamus justificationem, ipsa Scriptura tradit. Et paullo  
post: Si igitur hæc esset mens & sententia Synodi, quod simpliciter  
vellent monstrare illum, de quo jam diximus, modum & ordinem, quo  
juxta Scripturæ traditionem Deus utitur, quando homines vult de-  
ducere ad justificationem, & si illa, quæ Scriptura tradit præcedere,  
tribuerent non viribus liberi arbitrii, sed gratiæ Dei & operamini  
Spiritus Sancti, nec in illis præparationibus constituerent meritum  
aut dignitatem propter quam justificemur, facile posset de vocabulo  
præpara-



*præparationis dextrè, juxta Scripturam, intellecto conveniri. Hæc*  
paullo copiosius adducere volui, ut constaret scilicet, nec reji-  
cere nos timorem iræ divinæ, agnitionem peccati, ejusque de-  
testationem, nec quicquam impedire, quò minus motus illi  
præparationes seu dispositiones vocentur, quibus homo ad  
justificationem recipiendam quodammodo idoneus reddatur,  
ut eam tamen præparationes illæ nec de congruo nec condi-  
gno mereantur, nec ex viribus naturæ, sed Dei gratiâ orientur.  
XXIII. Ubi tamen & hoc observandum est, longè a-  
liam rationem esse earum actionum, quæ fiunt ante omnem  
Spiritus Sancti operationem in infidelibus & gratiâ nondum  
præventis, & quæ ex speciali quidem Dei gratiâ fiunt, sed  
ante perfectam tamen consummatamque justificationem.  
Cum enim conversio hominis ejusque motio ad justifi-  
cationem non fiat in instanti, sed successivè perficiatur,  
quemadmodum semen in terram projectum primò quidem  
pullulascit in herbam, mox crescit in aristam, deinde in spi-  
cam, ac denique producit speciem sibi similem seu perfectum  
triticum in spicâ quâ similitudine Christus ipse in hoc nego-  
tio & operatione verbi divini describendâ utitur, Marc. iv. 28.  
certè ad justificationem inchoandam & perficiendam plures  
actiones requiruntur, quæ etsi omnes à speciali Dei gratiâ pro-  
ficiscantur, nō tamen unius sunt ejusdemq; generis, sed quædã  
à gratiâ Dei præveniente sunt, quæ nos primùm excitat & ad  
regnum Dei invitat, seu primam sanctam cogitationem animo  
nostro nihil tale suspicanti inmittit, atque adeò primùm con-  
versionis nostræ initium continet, quædam verò à gratiâ adju-  
vante & cooperante oriuntur, quæ ita excitatos & præventos  
adjuvat, ut gratiæ vocanti assentiri, & deinde converti ac justi-  
ficari perfectè possimus. Illi igitur sive motus sive actus, qui  
ante omnem gratiam fiunt, inter quos etiam sunt dolor, &  
contritio, & propositum abstinendi deinceps à flagitiis, quia ex  
metu pœnæ tantùm, ignominia, morsu conscientia vel fastidio  
turpitudinis naturalis, non verò auxilio Dei speciali, oriuntur,  
& ad finem naturalem tendunt, nec justificationem præcede-  
re, aut ad eandem præparare, nec ad eam ullo modo pertine-

re re-





re rectè dici possunt. Qui verò ex instinctu Spiritus Sancti, mo-  
ventis hominem ad peccati odium, misericordiæ divinæ im-  
plorationem, & fiduciam in solum Deum collocandam, fiunt,  
etsi ipsi quoque ob adhærentem defectum imperfecti sint, qua-  
tenus tamen ex hoc principio fluunt, peccata non sunt, & ad  
initium justificationis rectè quoque referuntur.

XXIV. Idem etiam de novæ vitæ proposito pietatisque  
ac virtutis studio sentiendum est; hæc enim dum ante omnem  
gratiã, solius naturæ ductu oriuntur, & cum ethnicis fide Chri-  
sti nondum collustratis nobis communia sunt, nec bonæ ac spi-  
rituales actiones sunt, nec ad justificationem & salutem quic-  
quam faciunt. Quod si verò non proprii & naturalis luminis,  
sed supernæ & divinæ illustrationis beneficio in homine repe-  
riuntur, tum fidem & justificationem non præcedunt, nec ad  
eandem quenquam præparant, sed sunt opera justificarum,  
& ex fide in homine regenito fluunt. Ut enim quis peccata sua  
& impietatem ferè agnoscat, detestetur & emendationem ac  
præceptorum divinatorum observationem sibi deinceps propo-  
nat, id non naturalis, sed supernaturalis motus est, nec natu-  
rali, sed supernaturali tantum & divinitus concessã facultate  
perficitur, denique fidem & justificationem non præcedit, sed  
sequitur. Unde rectè etiam Augustana Confessio artic. xx. in-  
quit: *Quia per fidem accipitur Spiritus Sanctus, jam corda reno-  
vantur, & induunt novos affectus, (novæ vitæ propositum) ut pa-  
rere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bona volun-  
tatis (propositi) & justæ actionis genitrix est. Nam humane vires  
sine Spiritu Sancto plene sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores,  
quàm ut bona opera possint efficere coram Deo. Et paulò post: Ta-  
lis est imbecillitas hominis cum est sine fide & sine Spiritu Sancto, &  
tantum humanis viribus se gubernat.* Rursus in artic. Smalcald.  
part. III. artic. XIII. *Per fidem aliud novum & mundum cor ac-  
quirimus. -- Hanc fidem, renovationem & remissionem peccatorum,  
sequuntur bona opera.* Inter quæ sine dubio quoque est novæ  
vitæ propositum. Nequaquam igitur præcedit, sed, ut alia  
bona opera, sequitur potius justificationem, multò minùs ean-  
dem efficit.

XXV.



XXV. Quod autem de fide, tanquam initio, radice ac fundamento justificationis addunt, absurdius sine omni dubio est, quam refutari ut debeat. Tantum enim abest, ut disponat aut præparet homines ad justificationem, ut potius eandem per modum instrumenti efficiat. Quod autem efficit rem aliquam, non præparat, cum præparationis effectus sit dispositio tantum, quæ est potentia, effectus vero actus: quantum ergo potentia differt ab actu, tantum præparatio justificationis à justificatione ipsa. Et sanè quod officium fidei fuit in justificatione Abrahami idem quoque officium exercet in justificatione omnium credentium, quorum pater ille propterea dicitur Rom. IV. 11. 12. 24. Atqui Abrahamum non tantum præparavit aut disposuit ad justificationem, sed ipsam potius Christi justitiam, & quæ inde pendet, justificationem contulit. Unde & fide non præparari, sed prorsus *justificari* dicimur *absque operibus*, Rom. III. 28. Quæ conclusio per totam illam Epistolam adstruitur & confirmatur. Denique si fides temporis & causalitatis ratione antecedit ipsam justificationem, etiam in iis esse poterit, qui nondum sunt justificati aut regenerati, atque adeò, quod felix faustumque sit, habebimus credentes non-justificatos, fideles non-fideles, credentes absque salute & vita æternâ. Quod meritò Christus & Apostoli ejus rejiciunt, Joh. III. 15. 16. 18. 36. cap. V. 24. cap. VI. 40. 47. atque alibi: *Omnis, qui credit in filium, habet vitam æternam*. Rom. IV. 6. cap. VIII. 24. *Spe (fide) salvati sumus*. Eph. II. 8. *Gratiâ salvati estis per fidem*. Quibus locis omnibus ipsa salus & vita æterna fidei tribuitur, non tantum quoad initium & præparationem, sed ratione juris, quod per fidem acquirimus, ipsius etiam possessionis & fruitionis.

XXVI. Causa efficiens principalis justificationis solus Deus est, ut non tantum Apostolus affirmat Rom. III. 30. *Unus Deus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*. Cap. VIII. 33. *Deus est, qui justificat*: unde & passim Dei justitia, quæ ipse nos justificat, vocatur: Sed inde etiam astruitur, quia solus Deus peccata remittere, in filios adoptare, gratiam, gloriam ac vitam æternam largiri potest, Marc. II. 7. Luc. V. 21. *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Qui autem solus pec-

D

cata





peccata condonare, justitiam & vitam æternam largiri potest, ille  
solus etiam justificare quibit, cum justificatio aliud nihil sit  
quàm peccatorum remissio & reconciliatio hominis peccato-  
toris cum Deo. Quod rectè quoque Concilium Tridentinum  
cap. vii. itemque Bellarm. Becanus & cæteri asserunt, unde nul-  
la hac in parte inter nos & ipsos controversia est, nisi quòd ipsi  
aliter justificationem, quàm nos facimus, describunt. Cùm  
enim eam non in remissione peccatorum & reconciliatiõne  
hominis cum Deo, sed ejusdem renovatiõne & novarum qua-  
ritatum infusione constituant, fieri vix potest, quin hominis  
studium aliquod & operam ad id requirant, aut saltem cum  
Dei actiõne jungant, quod etiam de justificatione, quam  
fingunt, secundà, hoc est, augmento justitiæ inhærentis luben-  
tes concedunt, de primâ tantum ejus acquisitione negant. Fa-  
temur quidem cum Apostolo, secundam justificationem, id est, aug-  
mentum justitiæ, conferri nobis à Deo propter bona operâ, quibus id  
meremur, sed negamus primam justificationem esse ex nostris meritis,  
ait Becanus opusc. de justif. Cathol. cap. iv. Et Concilium Tri-  
dent. cap. viii. Nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides,  
sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia  
est, jam non ex operibus, alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia  
jam non est gratia. Quo in loco equidem de primâ justificati-  
one impii seu justitiæ inhærentis acquisitione agit, non negat  
tamen omne meritum, sed meritum saltem ut oportet, ut loqui-  
tur Can. iii. hoc est, meritum de condigno, sicut ipse Bellarm.  
genuinus Concilii interpres explicat lib. i. de justif. cap. xxi.  
& lib. v. cap. xxii. Potest homo nondum reconciliatus per opera pœni-  
tentie impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis. In  
ipso quoque Concilio Theologi plerique, solo Catarino exce-  
pto contendebant, preparationem animæ ad gratiam recipiendam  
in suo genere causam esse, apud Svavem p. 215. At Franciscani non  
contenti istiusmodi opera bona dicere, iisq; virtutem preparandi ad  
justificationem verè & propriè tribuere, ea volebant insuper apud  
majestatem divinam proprio modo esse meritoria. Etenim Scotus illi-  
us doctrine signifer genus meriti excogitavit debitum operibus factis  
soliis naturæ viribus, affirmans de congruo mereri gratiam certâ lege



Est procul dubio, posseq; hominem solâ vi naturali dolorem ob peccatum concipere, qui quidem dolor est dispositio & meritum de congruo ad peccatum illud obliterandum. Eo accommodabat veriverbum illis temporibus usurpatum, Deum nunquam deserere eum, qui pro virili animitur, ut ibidem additur p. 217. Quâ in parte manifestè se prodit Semipelagianismus, quem à Cassiano, Chrysoctomi olim Diacono, Fausto ac Massiliensibus mutuatum Jesuitæ & Scholastici posterioribus temporibus avidè arripuerunt & interpolaverunt, qui itidem docent. *Facientibus totum, quod in se est, ex solis naturæ viribus dari à Deo infallibiliter & ex certâ lege auxilia prævenientis gratiæ, quibus id, prout oportet ad salutem exequantur.* Eo pacto enim conversionis, justificationis & salutis nostræ negotium ita gratiæ divinæ vindicatur, ut tamen initium ejus & conatus aliquis in nobis & ex nobis esse, & gratiam Dei præcedere concedatur; per vires enim naturæ incipere nos & benè agere conari, sed gratiam Dei conatum nostrum adjuvare & promoveri itidem Massilienses agebant.

XXVII. Non justificat autem Deus tantum, quatenus ipse justus est, & ex justitiâ peccata in Filio suo acerrimè vindicat, ejusque justitiam merito ac satisfactione ipsius acquisitam nobis imputat, sed etiam quatenus misericors est, atque ex gratiâ & gratis, sine ullo nostro merito, peccata condonat: quam ob causam quoque justificatio nostra & gratiosa est, seu ex gratiâ & misericordiâ Dei profecta, & gratuita, quæ non tantum indignis & longè aliud meritis, sed etiam sine quocunque operis nostri interventu, obtingit. Ubi primò omnium vox gratiæ rectè explicanda, & quemadmodum in Scripturis capiatur, dicendum est. Accipitur autem, quantum ad hoc institutum nostrum attinet, dupliciter: aliquando pro benevolentia Dei & gratuito ejus favore, quo nos complectitur; aliquando pro beneficiis & donis, quæ idem ex gratuito illo favore nobis in hac vitâ impartitur, & benevolentia ipsius in nobis effectus sunt; ut cum Luc. I. 30. dicitur, *Maria, invenisti gratiam apud Deum*: Et Act. VII. 46. *David invenit gratiam apud Deum*: Item Rom. III. 24. *justificantur gratis ex ejus gratia*, priori significatu capiatur. Posteriori verò Rom. XII. 6. *Habentes dona*



*juxta gratiam nobis datum vna. 1. Cor. xv. 10. Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus, que collata est in me, non fuit inanis, sed copiosius quam illi omnes laboravi, non ego tamen, sed gratia Dei, que mihi adest. Eph. iv. 7. Unicuique nostrum data est gratia juxta mensuram donationis Christi. Utramque autem significationem ipsi quoque Scholastici, Thomas in 1. 11. q. cx. art. 1. Biel. 11. sent. dist. xxvi. q. un. probant & amplectuntur, sed & ipsum Concilium Trident. idem quodammodo fateri cogitur, cum can. xi. anathema esse jubet, si quis dixerit, gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei. Agnoscit igitur, gratiam, qua justificamur, favorem Dei significare, sed tantum favorem Dei esse, id negat, & donum aliquod inherens seu qualitates infusas addendas esse innuit, atque hanc posteriorem significationem vel principalem esse, vel saltem cum priori conjungendam, & tum ex Dei favore ac benevolentia, tum habitibus ex gratia illa profectis nos justificari docet.*

XXVIII. Quanquam autem ipsi quoque concedamus, renovationem seu qualitates inherentes cum justificatione conjunctas esse, nec quenquam justificari, quin idem simul sanctificetur, dona etiam, quæ per hanc accipimus, rectè ad gratiam Dei referri utrumque & beneficium filii Dei mediatoris esse, ubi quaeritur tamen, quid per gratiam intelligendum sit, cum eam justificari & salvari in Scripturis dicimus, ibi manifesta sunt testimonia, quæ docent, solam gratuitam misericordiam, benevolentiam ac favorem Dei, complectentis suam gratiam & recipientis in gratiam indignos, propter filium mediatorem, intelligendum esse. Non tantum enim gratia illa alibi per misericordiam Eph. 11. 4. Tit. 111. 5. itemque *Φιλανθρωπίας* Tit. 111. 4. & dilectionem seu charitatem Dei Joh. 111. 16. Eph. 11. 4. 1. Joh. 11. 9. explicatur, quibus vocabulis sanè gratia gratum faciens, ut Scholastici loquuntur, non gratis data, seu donum aliquod in nobis existens intelligitur; Sed etiam unum ab altero manifestè distinguitur, Rom. v. 15. seq. & quod adhuc plus est, sibi invicem opponuntur. Ita enim Deus ex gratia justificat, ut opera omnia, sive per vires naturæ facta, sive à Dei gratia in nobis producta, prorsus excludat; *Sic enim per gratiam, non*  
*jam*



*jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia: Sin ex operibus,  
jam non ex gratia, alioquin opus jam non est opus, Rom. xi. 6. Eph.  
ii. 8. 9. Ita alibi quoque gratia & debitum Rom. iv. 4. gratia &  
lex Rom. vi. 14. Gal. ii. 21. cap. v. 4. lex & fides Rom. iv. 16. lex  
& justitia Dei Rom. iii. 21. gratia & opera ii. Tim. i. 9. justitia  
Dei & nostra, ea item, quæ est ex fide, illi, quæ est ex operibus  
nostris cap. ix. 30. & cap. x. 3. sibi opponuntur. Quod verò o-  
pera quoque à gratia Dei in nobis producta excludantur, ex-  
emplo Abrahami probatur Rom. iv. 2. qui etsi opera justitiæ  
fecisset, non iis tamen, sed solâ fide & gratiâ Dei justificatus  
dicitur, ut omne id excludatur scilicet, quo gloriari apud De-  
um posset. Et sanè si eatenus homo ex gratiâ justificatur, qua-  
tenus impietas & peccata ejus ipsi remittuntur, ut expressè af-  
feritur Rom. iii. 25. non justificatur ex ullis operibus aut qua-  
litatibus propriis, undecunque profectis, nec gratia Dei tale  
quid significat, sed potius, quod extra nos in solo Deo reperit-  
tur. Denique colligitur idem evidentissimè ex Rom. iii. 24.  
*justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in  
Christo Jesu.* Ubi sicut justificare est à peccatis absolvere, justi-  
tiam alienam imputare, non justitia inhærente donare, ita gra-  
tia Dei, quâ nos justificat, non inhærentem justitiam, sed alie-  
nam, seu eam significat, quâ justitiam Christi nobis imputat, &  
propter illam peccata condonat. Præcipuè cum Dei gratia,  
non nostra, dicatur, & justificatio nobis gratis obtingat, per  
fidem, quæ omnia non nostram novitatem, sed Dei misericor-  
diam & gratuitam acceptionem notant. Et quid multis o-  
pus est? Ipsi Pontificii, etiam ii, qui post Concilium scripse-  
runt, inviti quodammodò id fateri coguntur. Ita enim Pere-  
rius in locum illum commentatur: *Nomen gratiæ, cum hæc dici-  
tur, justificati gratis per gratiam ipsius, licet possit significare superna-  
turalem & divinam illam qualitatem à Deo infusam animæ hominis,  
& in eâ inhærentem quâ est justus & gratus Deo, videtur potius tamen  
hoc loco significare gratuitam Dei bonitatem, & benignitatem erga ho-  
minem. Opponit enim Paulus operibus hominis gratiam Dei, signi-  
ficans non meritis hominum quasi debitam reddi justitiam, sed nullis  
precedentibus hominum bonis meritis, imò plurimis malis meritis,**



*propter infinitam Dei benignitatem ac misericordiam gratuito dari  
justitiam homini. Quod si verò hoc loco gratia bonitatem Dei  
gratuitam & benignitatem erga hominem potius, quàm infusam a-  
nimæ qualitatem significat, quid obstat, ô Pereri, quò minùs i-  
dem etiam aliis locis, ubi eadem ferè verba, eademq; circum-  
stantiæ occurrunt, denotetur?*

XXIX. Causa meritoria, quâ justitiæ divinæ pro peccatis  
nostris satisfactum, & Deo placato ac reconciliato, salus amif-  
sa nobis reparata est, Christus rectè à Concilio Tridentino sta-  
tuitur, quod cap. VII. ita loquitur: *Justificationis causa meri-  
toria est dilectissimus unigenitus suus (ipius,) Dominus noster Jesus  
Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ  
dilexit nos, suâ sanctissimâ passione ligno crucis nobis justificationem  
meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit.* Nec id dubium ullum  
habet, cum Scriptura toties & tam perspicuè hoc inculcet, ut  
tota propemodum in unicâ hac retradendâ & explicandâ oc-  
cupata videatur: quicquid etiam novi in Poloniâ, Lithuaniâ &  
Transylvaniâ Samosateniani & Photiniani doceant, quorum  
impietas refutatione indigna est, nec nobis contra eos dispu-  
tare nunc propositum. Saltem id adhuc patres Tridentini, aut  
alius eorum loco explicet velim, utrum Christus secundum hu-  
manam aut divinam naturam tantum, an verò secundum divi-  
nam pariter & humanam naturam causa justificationis meri-  
toria dicatur? utrum item ipse integra & totalis causa sit, ut  
nec nostra, nec ullius alterius hominis opera, ante aut post ju-  
stificationem facta, mereri quicquam possint, sed ipse tam per-  
fectè patri satisfecerit, ut perfectius non possit? Quæ omnia  
quidem plerique Concilii interpretes negant, sed eo ipso me-  
ritum Christi impugnant aut prorsus evertunt. Quanquam  
enim antiqui patres & Doctores Scholastici, etiam recentiores,  
in eo nobiscum consentiant, Christum mediatorem Deum &  
hominem extitisse, sed nec ullam puram creaturam sufficien-  
ter pro nobis satisfacere, nec satisfactionem perfectam & suffi-  
cientem præstari, nisi per actionem infinitæ dignitatis & effica-  
ciæ, potuisse, non aliter tamen opus meditationis peregisse  
Lombardus, Thomas, & reliqui Scholastici, ad quos Bellarm.  
provo-



provocat, docent, quam ut homo est, seu secundum humanam naturam tantum: Christum enim seu Deum incarnatum orasse quidem, passum esse, obediisse patri & pro nobis satisfecisse, non ut Deus erat, sed secundum quod formam servi habebat, opera autem illa infinitam efficaciam & dignitatem habuisse ex eo, quod oratio, passio, obedientia & satisfactio personæ divinæ essent, licet in & per naturam humanam tantum peracta. Ita enim Magister sententiarum in III. dist. XIX. prope finem scribit: *Mediator est, in quantum homo; nam in quantum Deus, non mediator, sed equalis patri est, hoc idem quod pater, cum patre unus Deus. Mediat ergo inter homines & Deum Trinitatem, secundum hominis naturam, in qua suscepit illa, per qua reconciliamur Deo.* Ubi apertè Lombardus asserit, Christum mediatorem esse ratione humanæ naturæ tantum, etsi non unam, sed duas naturas habeat, & ita sit medius, ut Deus sit propter divinitatis naturam, & homo propter humanitatis naturam. Idem quoque cum eo sentit Bonaventura ibid. artic. II. q. II. *Si queratur, qualiter & secundum quam naturam sit mediator, cum mediator dicat officium reconciliationis & mediator debeat differre ab illis, quos reconciliat, & Christus secundum divinam naturam sit ille, cui fit reconciliatio, dicendum, quod non potest esse mediator secundum divinam naturam sed secundum humanam naturam, in qua potest reconciliare secundum diversas proprietates, in quibus communicat cum Deo, & cum homine, habebat enim Justitiam & innocentiam, in qua communicat cum Deo, & mortalitatem, in qua communicat cum homine.* Nec aliter Thomas part. III. q. XXVI. artic. II. docet, considerari scilicet in mediatore posse tum rationem medii, tum conjungendi officium. Et de ratione quidem medii esse ait, *ut distet ab utroque extremorum, mediatorem autem extrema per hoc conjungere, quòd ea, quæ unius sunt, deferat ad alterum.* Neutrum horum convenire Christo posse secundum quod Deus est, sed solum, secundum quod homo: nam secundum quod Deus est, non differre eum à patre & Spiritu Sancto, vel natura vel domini potestate, nec patrem & Spiritum Sanctum aliquid habere, quod filii non sit, ut sic id, quod utriusque est, tanquam aliquid aliorum deferre ad alios possit, sed utrumq; ei convenire in quantum homo est.

His



His jungamus uauum adhuc, qui paullò ante reformationem à  
Luthero ceptam Tubingæ docuit, Gabrielem Biel in III. Sent.  
dist. xx. q. un. *Est Christus medius inter Deum & hominem per  
participationem utriusque nature, diuine & humane, & similiter  
proprietas utriusque nature: nam habet iustitiam & innocentiam  
& beatitudinem cum diuinâ, mortalitatem & passibilitatem cum hu-  
mana. Primo modo est medius secundum ambas naturas, secundo  
modo tantum secundum humanam. Est etiam mediator, quia exi-  
stens medius officium reconciliationis exhibuit secundum humanam  
naturam tantum, secundum quam sacrificium dignum pro peccatis  
hominum obtulit.*

XXX. Atque hæc antiquiorum & sequioris ætatis Docto-  
rum sententia fuit, à qua ne latum quidem unguem recentio-  
res recedunt, ut ex Lorino, Busæo, Cano, Svarezio, Vazquesio,  
Gregorio de Valent. ipso etiam Bellarmino patet, qui quan-  
quam subtilior reliquis uideri uelit, dum lib. v. de Christo cap.  
i. inter principium quod & quo distinguit; principium quod opera-  
batur opera Mediatoris, non fuisse Deum solum, uel hominem solum,  
sed utrumque simul, hoc est, uerbum incarnatum, siue Deum huma-  
natum: Principium tamen quo illa opera à Mediatore fiebant, fuisse  
naturam humanam, non diuinam: Tamen si enim Deus incarnatus  
fuerit, qui orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hæc o-  
mnia fecisse secundum formam Dei: Atque hanc sententiam  
communem esse Catholicorum ait, ubi & Magistrum senten-  
tiarum, Bonaventuram, Thomam & cæteros Theologos ad-  
ducit; Mox tamè eodem libro cap. v. sui oblitus, & semetipsum  
redarguens, seu potius missis ambagibus, apertè, quid statuat,  
docens scribit, non posse Christum Mediatorem esse secun-  
dum utramque naturam simul sumptam. Unde tandem con-  
cludit: *Restat ergò, ut solum secundum humanam sit mediator.* Et  
cap. III. dicere Christum Pontificem, sacerdotem ac mediato-  
rem fuisse secundum naturam utramque errorem esse ait, qui a-  
pertè introducat partim Arianismum, partim Eutychianismum.  
Similiter & Dionysius Petavius T. IV. Theol. dogmat. lib. XII.  
cap. III. qui sententiam, ut uocat, Catholicam ita explicat:  
*In Mediatore Christo duo quedam animo discernenda sunt: alterum*

est



est *ὁμοούσιος* ipsa, sive substantia Mediatoris, altera est operum officiorumque, quae ab Mediatore prestanda sunt, perfunctio. Si prius spectes, ex duabus naturis constat Mediator: Sin ad posterius respicis, rursus distinguenda sunt duo: actio ipsa, sive administratio, externae operis gestio: & vis illius, id est efficacia ac dignitas, unde meritum ac pretium ejus oritur. Horum autem quod primum est, solius esse naturae hominis constat, sive, ut Cyrillo potius loquendum videtur, personae ipsius, quatenus homo est, vel secundum humanam substantiam. Haecenus etiam ille. Quare mirum alicui videri poterat, cur uterque Franciscum Stancarum Mantuanum, superiori saeculo in Academia Regiomontana in Borussia Professore hac in parte impugnant, eique Nestorianismum improperent, cum Stancarus se hac in re magistrum sententiarum & Scholasticos, à quibus sine omni dubio seductus fuit, sequi profiteatur, & cum Bellarmino, ipsoque etiam Petavio per omnia consentiat. Ut enim hi suppositum ex utraque naturâ constare dicunt, soli verò humanæ naturæ, seu Christo, ut homini tantum actiones proprias mediatoris, ut satisfacere, offerre sacrificium, rogare, pati ac mori ascribunt; Ita Stancarus quoque multis in locis saepius repetit, Christi personam constare ex duabus naturis, divinâ & humanâ, ut Bellarminus fatetur, tantum in eo errabat, quòd nomina officii Christo secundum solam naturam humanam tribuebat. Quod si autem Stancarus Nestorianismi reus propterea rectè peragitur, eodem sanè, & forsan etiam majori jure eadem hæresis Bellarmino, & quos ille hac in parte *ὁμοούσιος* sibi habet, impingetur, qui & ipsi quoque per suas assertiones operationum ac naturarum separationem introducunt, & per consequens duas in Christo personas constituunt. Unde quod ille Stancaro subinde occinit, nos ipsi quoque reponimus, eum voce fateri unam personam in Christo, re autem ipsa ponere duas, & evacuare planè mysterium redemptionis. Nam si sola natura humana egit opera illa satisfactoria, ergò natura humana per se existebat, & proinde suppositum erat à divino supposito distinctum, agere enim suppositorum est. Duo igitur in Christo supposita erant, quæ est ipsissima hæresis Nestorii.

XXXI. Cæterum Augustanæ Confessionis sententia arti-

E

culo





culo eius III. & clariùs adhuc in Formula Concordiæ Epit. p. 583. seqq. Et declarat. p. 696. itemque p. 773. hoc modo exponitur: *Christus est noster mediator, redemptor, rex, summus Pontifex, caput & pastor &c. non secundùm unam tantùm naturam, sive divinam, sive humanam, sed secundùm utramq; naturam.* Non potuisset igitur Christus aliter opus mediationis peragere, nisi Deus pariter ac homo extitisset; solus enim homo Deo nos reconciliare & pro peccatis nostris satisfacere, itemque pro nobis orare & interpellare non valuisset, 1. Sam. II. 25. Psal. XLIX. 8. 9. multò minùs Ecclesiam servare, eiùque ad extremum diem præstò esse, invocantes exaudire ac eorum preces, velut Mediator & Intercessor, ad Deum deferre. Sed nec Deus, ut Deus est, pati ac mori potuisset, nisi humanam naturam assumpsisset, quare *utramque naturam agere oportuit, quod cuiusque proprium fuit, sed cum communicatione alterius,* ut loquitur Concilium Chalcedonense. Quod enim passus & mortuus est, inde est, quia homo erat, quod verò tanti pretii passio & mors illa fuit, & pro peccatis totius mundi satisfaceret, inde est, quòd non puri hominis, sed filii Dei passio & mors existeret. Quod prætereà ex Scripturis ipsis ostenditur, quæ humanæ pariter ac divinæ naturæ mentionem faciunt 1. Tim. II. 4. Act. XX. 28. & filium Dei incarnatum esse dicunt, ut opera Diaboli destrueret Rom. VIII. 3. 4. Gal. IV. 4. 5. 1. Joh. III. 9. Quæ in parte etiam antiquos Ecclesiæ Doctores plerosque consentientes, & ut loquitur Claudius Espencæus, tract. de Christo Mediat. cap III. *ex Græcis & Latinis orthodoxis magno consensu de utriusque naturæ ad mediatoris, prout Christo competit, nomen concursu necessario velut gravissimum & unanime Senatusconsultum habemus.* Ubi etiam Cyrilli, Chrysostomi, Theophylacti, Theodoreti, Basilii, Damasceni, Epiphani: Itemque Lactantii, Ambrosii, Vigilii, Bernhardi, præcipuè verò Augustini verba adducit, & hunc quidem, quòd alicubi Christum secundum divinam naturam mediatorem esse negare videatur, secum ipso conciliat, denique ad argumenta, quæ pro contraria sententiâ adduci solent, copiosè admodùm & prolixè respondet.

XXXII. Deinde verò nec id explicant Tridentini, *utramque solutus*





solus Christus eiusque satisfactio causa meritoria justificationis rectè statuatur, an verò alii sive ut mediatores, sive ut intercessores illi jungendi sint? an item aliorum opera, sive illi in cœlis jam triumphent, sive adhuc in terris militent, concurrere debeant? Utrumq; a. Pontificii Scriptores asserunt, sed quo ipsi meritum Christi non tantùm labefactant, sed etiam prorsus evertūt, cùm tantùm honori Christo debito derogetur, quantùm aliis tribuitur, nec illud perfectũ & omnibus numeris absolutũ dici possit, quod aliorum operã ad effectum producendum indiget. Quod ipsi haud illubentes fatentur. Ita n. Ruardus Tapperus in artic. Lovan. art. vi. *Plena est Christi satisfactio, redemptio & propitiatio pro universis, non solùm quoad culpam, quam tamen præcipuè ac principaliter respiciunt, verum etiam quoad pœnam temporalem culpã dimissã remanentem, sed per sufficientiam, non autem secundùm efficientiam & fructũ participationem.* Et iterum: *Satisfactio Christi per sufficientiam tantùm non meretur nomen perfecta satisfactionis, nec redemptio, nec reconciliatio per sufficientiam hæc nomina merentur.* Item Biel in III. sent. dist. xix. *Etsi Christi passio est principale meritum, propter quod confertur gratia, aperiens regni & gloria, nunquam tamen est sola & totalis causa meritoria, quia semper cum merito Christi concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo, vel de condigno recipientis gratiam vel gloriam, si fuerit adultus rationis usum habens, aut alterius pro eo, sic caret usum rationis.* Hæc illi apud B. Gerhard. part. i. lib. ii. in append. art. ii. Conf. Cath. Bellarm. equidem lib. i. de justif. cap. ii. Christum pretium redemptionis exactè persolvissè, & ex rigore justitiæ (ut Theologi loquuntur) pro nostris omnium sceleribus satisfacissè, idq; Scripturas significare, cùm vocabulo redemptionis utuntur, idemq; Concilium Tridentinum indicare voluissè, dicit, cum docuit, Christum causam esse meritoriam nostræ justificationis, quoniam pro peccatis nostris passionè suã integrè satisfacit, & nobis reconciliationem, gratiamq; promeruit. Sed nec ipse nec Concilium Tridentinum docet, unde vim & efficaciam illam meritum Christi habeat? Tannerus enim T. iv. Theol. Scholast. Disp. i. Vasquez in III. part. Thom. Disp. v. Suarez ibid. Disp. iv. apertè fatentur, ex Scholasticis Theologis non paucos, neque ignobiles asseruissè, nul-

E 2 lius



lius creaturæ, neque adeò Christi apud Deum esse meritum & satisfactionem simpliciter condignam, sed ex acceptance ipsius Dei, qui sponte suâ eâ satisfactione & merito voluerit esse contentus, in quam sententiam Durandum in III. sent. dist. xx. & in IV. dist. xv. Scotum in III. sent. dist. xix. & xx. & in IV. dist. xv. q. 1. Gabrielem & Almainum iisdem locis, Medic. Cod. de peccat. tract. III. de Satisfact. q. 1. adducunt. Atque illi quidem omnes ante Concilium Tridentinum vixerunt, sed post illud hodie adhuc omnes Scoti discipuli ita disputant, ut apud Radam T. III. controuv. inter Thomam & Scotum controuv. XIII. art. III. videre est, cujus conclusio III. hæc est: *Christus Dominus juxta sententiam Scoti non satisfecit de toto justitiæ rigore, sed illa satisfactio fuit ad equalitatem, & superabundans ex Dei acceptance & gratia.* Hanc conclusionem itidē tenere ait, Durandum, Gabrielem, Almainum, Johannem de Medinâ, & omnes Scoti discipulos, quales sint Tartaretus, Leuchetus, Bassolis, qui omnes concedunt, inquit, id quod de fide est, Christum suis actionibus sufficienter & ad equalitatem, imò & superabundanter satisfecisse pro hominum peccatis, dicunt tamen hujusmodi valorem illa opera non habere ex naturâ eorum intrinsecâ, sed ex gratuitâ Dei acceptance, qui voluit ea acceptare in solutionem pro hominum peccatis sibi debitam, itaque concedunt isti Doctores, Christi opera fuisse sufficienter satisfactoria pro peccatis hominum, & ad hoc habuisse valorem sufficientem, & ex consequenti debito equalem ex peccatis resultanti, ceterum dicunt, hujusmodi valorem non convenire Christi operibus ex propriâ & intrinsecâ eorum naturâ sine Dei acceptance. Atque hanc conclusionem sex rationibus deinde probat, ut, quod nullum opus rationem meriti habeat, nisi à Deo acceptatum fuerit, quod item meritum Christi fundetur in gratia Dei, qui sit creditor, ideò rigorosam esse non posse: Satisfactionem quoque factam esse non ex bonis Christi propriis, sed potius Dei creatoris & conditoris, Christum enim satisfecisse per opera humanitatis, quæ & secundum suam substantiam & quoad valorem formaliter sumptum erant quid creatum: Opera etiam illa Deo creditori multistitulis debita fuisse, & sicut Diis ac parentibus non possemus æquivalens reddere, ut Aristoteles

leies



les VIII. Ethic. cap. III. docet, ita nec Deo pro beneficiis, multò minus pro offensis. Denique, vel personam verbi tribuisse valorem operibus humanitatis secundum se acceptam & ut infinitam, vel ut humanitati unitam: neutrum verè dici posse. Unde tandem ita concludit: *Conclusionem nostram solent aliqui notâ aliquâ inurere absque ullâ ratione, cum ipsa quicquid ad finem attinet, & ad veram ac propriam Scripturarum expositionem ac Sanctorum concedat, habeatq; nobiles patronos, & efficaces rationes pro se, aptissimeq; solvat contraria argumenta, quocirca probabilem censeo Scoti opinionem, asserentem, Christum non satisfacisse de toto rigore justitiæ.* Atque hanc sententiam illi ideò tam copiosè propugnant, tum ut operum humanorum insufficientiam nihil obstare ostendant, quò minus Deo pro peccatis satisfieri possit, cum nec ipsius Christi satisfactio ab omni parte perfecta fuerit, tum ut doceant, prædestinationis gratiam præcipuam salutis causam Christo pariter ac electis extitisse; eam enim id effecisse, ut Deus qualemcunque satisfactionem salvandis electis acceptaret.

XXXIII. Quod autem Christus non imperfectè & secundum quandam liberalem condonationem, sed planè & sufficientissimè quâ patièdo, quâ legem divinam, quam nos implere non poteramus, exactissimè servandò, pro peccatis nostris justitiæ seu stricto juri divino satisfecerit, id inde cum primis patet, quod passio ac mors ejus infinitæ dignitatis & efficaciam pretium redemptionis fuerit: neque enim nudi hominis, sed Filii Dei, unde virtus illa infinita promanavit, passio & mors extitit, neque aliter justitiæ divinæ satisfieri, aut nos à peccatis liberari, & in eum, unde excideramus, locum restitui poteramus. Quod rectè etiam Thomas de Aquino inculcat, cum lib. III. sent. dist. XX. q. I. art. II. inter alia sic loquitur: *Oportebat, quod pro peccato nature humane digna fieret satisfactio, tum quia aliter homo non restitueretur primæ dignitati, tum quia conveniens est esse unum primum in genere satisfactionis perfectum, supra quod aliæ satisfactiones imperfectæ fundentur. Ad hoc ergo, quod satisfactio esset condigna, oportebat, quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, infinitatem quandam habe-*



bat ex tribus, primò ex infinitate divine majestatis, in quantum offensa fuerat per contemptum inobedientiae; quanto enim major est, in quem peccatur, tanto est gravior culpa; secundò ex bono, quod per peccatum auferebatur, quod est infinitum, scilicet ipse Deus, cujus participatione homines fiunt boni: tertio ex ipsa natura, quae corrupta erat, & infinitatem quandam habebat, in quantum in ea possunt superposita in infinitum multiplicari. Actio autem pura creatura non potest habere efficaciam infinitam, & ideo nulla pura creatura poterat sufficienter satisfactionem facere. Idem Thomas cum part. III. q. XLVIII. art. II. sibi objecisset, Christum passione sua pro peccatis totius generis humani non satisfacisse, quia non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem seu in carne sua passus sit, ita respondet: *Dignitas corporis Christi non est estimanda solum secundum corporis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat infinitam dignitatem.* Quod itaque ex se, seu à divinitate personae infinitam efficaciam & valorem habuit, id utique sufficientissimum & efficacissimum accuratae rigidaeque Justitiae satisfaciendae, & redimendis infinitis hominibus fuit, nec favori ac liberalitati alterius, multò minus pacto ac decreto tribuendum est, quod æquali & condignâ, hoc est, infinitâ satisfactione fuit præstitum. Quod præterea inde quoque probatur, quòd *gratia & justitia*, quæ in hoc negotio cum primis attenduntur, & ex quibus operum meritorumque ratio æstimatur, sibi invicem opponuntur, ut ex Epistola ad Romanos cap. IV. constat. Cumque satisfactio sit compensatio quædam illatae injuriæ alteri, & violati juris ipsius, tantò ea perfectior est, quanto minus gratiæ & liberalis condonationis adjungitur, & ubi vel minimum admittitur gratuitae liberalitatis, quod ad pretium quidem attinet, nondum ita perfecta ea est, quin semper præstantior aliqua cogitari possit. Sed Deo injuriis hominum læso quàm perfectissima debebatur satisfactio, & quâ nullâ major obtineri poterat, & Christi satisfactio tam exacta fuit, ut perfectior esse non posset, unde favori & liberalitati Dei, qui de jure suo aliquid remittat, tribui non debet. Atque hinc est, quòd Christus ipse dicat, se omnem justitiam Dei implevisse & legem Dei quoad omnes partes & circumstantias servasse, ut nec apex, nec jota unum



unum præterierit Matth. III. 15. quin eum in finem in mundum vē-  
nisse, non ut dissolvat legem aut prophetas, sed ut impleat, cap. v. 17.  
permaneat deniq; in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, Gal.  
III. 10. 13. quod nemo hominum præstare poterat. Non tantum verò  
legem Dei nostri loco implevit, sed etiam pœnas peccatorum no-  
strorum, dolores & cruciatus acerbissimos, ipsam denique mortem  
crucis in se suscepit. Unde est illud Petri I. Epist. II. 24. *Peccata nostra  
ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Ferre autem seu portare pec-  
catum apud Hebræos est pœnam ejus luere, ut Lev. v. 1. & cap. xx.  
17. *Qui peccaverit, &c. iniquitatem suam feret.* Idem etiam Esa. LIII.  
5. 6. dicitur: *Castigatio pacis nostra super eum, & livore ejus sanati sumus.  
Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Castigatio verò pacis  
seu quæ pacem afferat, est exactissima pœna peccatis debita, ejusq;  
persolutio, ut nihil, quod expiatione dignum sit, remaneat, quem-  
admodum vocabulum *כֹּסֶם* Deut. XI. 2. de ultimo Ægyptiorum  
supplicio, I. Reg. XII. 12. de Rehabeam tyrannide, Psal. xxxix. de  
intolerabili divinarum ultionum acerbitate usurpatur.

XXXIV. Si dicas, Deum gratis & ex gratiâ peccata nobis con-  
donare, unde nec *ισόπορον* pretium à nobis exegisse, nec tale à  
Christo accepisse, id autem satisfactionis genus non esse perfectum  
sive condignum ex justitiæ lege, sed imperfectum, *secundum accepta-  
tionem ejus, qui est eâ contentus, quamvis non sit condigna*, ut Thomas  
definit part. III. q. I. art. II. Respondetur enim, Deum ita gratis &  
ex gratiâ peccata condonare, ut idem tamen faciat per redemptio-  
nem factam in Christo Jesu, quem Deus constituit propitiationem  
seu placamen pro peccatis nostris, sicut Rom. III. 24. scriptum est.  
Et quia Scriptura utrumque ingeminat, utrumque etiam verum &  
credendum est. Gratis autem nos justificare dicitur, non quod nul-  
lâ satisfactione, aut eâ imperfectâ sit contentus, sed quia nihil nos  
vel egimus, vel agere potuimus, propter quod nobis peccata remit-  
tat, interim proprium filium suum pro nobis tradidit, & ejus mor-  
tem pro nostrâ acceptat. Qui verò ab alio, quem surrogat, pœnam  
peccato debitam exigit, quam à reo exigere poterat, eatenus certè  
secundum justitiæ rigorem agit, etsi reo delicti gratiam faciat. Ita  
cum debitum ab alio exigit creditor, quod à debitore exigere po-  
terat, solutionem utique perfectissimam accipit, etsi debitori sum-  
ma illa gratis condonetur. Quapropter gratia illa, quam Deus no-  
bis



bis exhibet, & conventio seu pactum inter Deum & Christum, Deum velle satisfactionem pro peccato hominum admittere, non obstant, quò minus justitiæ divinæ, ut oportet, sit satisfactum.


XXXV. Quanquam autem eo pacto Christus justificationis causa sit, ut ab ejus merito & satisfactione universa justitiæ & salutis nostræ ratio dependeat, nec quicquam hominibus salutare existat, aut ad æternam salutem obtinendam faciat, quod ejus morte & intercessione ab æterno prævisâ & factâ partum non est, id tamen ita intelligendum est, ut universalis Dei benevolentia, quâ totum genus humanum ex æquo amplectitur, in mente divinâ præcedat: Hæc n. fons quasi & origo, hæc prima causa est, quæ & missionem filii ejusque incarnationem & alia media, quibus salus nobis reparatur, ordinavit, quod ex Joh. III. 16. patet: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Missio ergò Filii Dei in carnem ejusque obedientia tum activa, tum passiva, & alia opera satisfactoria, expiatoria & meritoria effectus sunt benevolentia illius universalis. & ut ita dicam, à merito Christi independentis, quæ in eo potissimum consistit; cum propter transgressionem primi hominis totum genus humanum æternæ damnationi obnoxium esset, nec per ullius creaturæ sapientiam ratio aliqua excogitari, nedum ab homine quoquam aliquid præstari posset, quo gratiam Dei & spem salutis recuperaremus, Deus ipse nos non tantum sine omni venia abjicere non voluit, quod justè quidem propter peccata facere poterat, sed etiam ex inenarrabili suâ benignitate & *Φιλαδελφία* misericors nostri est, & gratiam peccatorum facere nobis per Filium suum constituit, quod quidem beneficium angelis lapsis non contigit, qui sine omni spe veniæ abjecti & in æternam damnationem præcipitati sunt. Unde universalis illa Dei benevolentia & misericordia ad eos nihil attinet. Sed datur prætereà alia dilectio Dei, qua peculiariter electos prosequitur, quæ meritum Christi non præcedit sed sequitur potius, atque originem suam trahit, de qua alius dicendi locus est. Atque hæc de causa meritoria justificationis. De instrumentali, tam à parte Dei, quam nostri, quæ fides est, quo pacto iustificet, subjecto, formâ & fine Disputatione sequenti agetur.

*Christo Jesu Salvatori nostro gloria!*

---

Cum incuriâ Typothetæ thesi XI. lineâ 1. pro num. IV. irreperit numerus XI. ubi tamen de IV. August. Confess. articulo sermonem esse contextus monstrat, confidimus benevolam lectorem id ipsum nec non alia quædam leviora errata meliorem in partem interpretaturum.




















Fol 808a



ULB Halle 3  
002 728 176



TA 502

1017









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

OLOGICA  
S  
UGUSTANAM  
IM TRIDENTINUM  
TIONE  
NTIA  
ologia honores,  
E  
EISNERO,  
of. Publ.  
sa 3895  
PHORO NICOLAI,  
Sondershusano in,  
co, Consistorii  
fessore,  
MAIORI  
idianis.  
Æ  
Wendt.  
LIX.